

*Super Praesidii Berkissemvina reaedificatione: Et Militis Banalis Confiniorum Colapianorum exolutione.*

**A r t i c u l u s 14.**

Item cum in reaedificatione Praesidii Berkissemvina, veluti in ipsis Colapianorum Confiniorum visceribus situati; ac cuivis hostili irruptioni vel maxime obvii, plurimum momenti positum sit; quo tantae necessitati eo citius posset provideri, cum et Sacratissima sua Majestas summam illam viginti septem millium Tallerorum, Art. 42. Anni 1635. denominatam (renovatis ad Tricesimatem Necessitatem Mandatis) ex eadem Tricesima exsolvendam esse benigne annuerit: Supplicant Status et Ordines; ut statuto per eandem Sacratissimam suam Majestatem exolutionis modo et ordine (aliis etiam deputationibus interea suspensis) eadem summa exinde depromatur.

§. 1. Banalis etiam Militis, in Confiniis Colapianis existentis, juxta benignam jam factam resolutionem, annualis exolutionis modum et rationem, suam Majestatem Sacratissimam clementer adinventuram humiliiter confidunt iidem Status et Ordines. \*)

*Pariter etiam Officiorum et Praefectorum militarium Regni Sclavoniae collationis conditiones observandae et effectuandae.*

**A r t i c u l u s 18.**

Quo in loco, cum eaedem Conditiones, ratione collationis Majorum, praesertim Militarium Praefectorum in Regnis Croatiae et Sclavoniae, manserint ineffectuatae; ut deinceps ibidem etiam eatenus querulandi amputetur occasio, praemissae Constitutiones in effectum deducantur; statutum est.

*De militum Caproncensium et aliorum, contra Incolas Comitatus Simigiensis, injurias et insolentias exercentium temeritate coercenda; Ut et contra Crisenensem Capitaneum Nobilitati Sclavoniae injurias inferentem; Militis item Carlostadiensis et Capitanei Segniensis exorbitantias, juxta Articulos qualiter procedendum?*

**A r t i c u l u s 22.**

Quia etiam injuriarum et querelarum moles circa depraeationes Comitatus Simigiensis, per Milites Caproncenses, Dernenses et Szent-Györgyvárienses, Capitaneis, Capronensi et Sancti Georgii subjectos, necdum cessasset; Ut etiam per Capitaneum Crisenensem, Nobilitati in Regno Sclavoniae, antiquitus illatae, novis ac sub ipso etiam decursu Commissionis, vigore Constitutionum Anni 1635. institutae, in praesentia deputatorum Dominorum Commissariorum perpetratis, accumulatae; Pari etiam ratione per Carlostadienses Milites et Capitaneum Segni-

\*) Urgetur; An. 1659. a. 102.